

forum domicilii; secus verba ista generaliter accepta restringi debent ad vagos. *L. 3. ff. de off. praesid.* procedit de hominibus malis, si quid manu commiserint, seu deliquerint in provincia.

27. Q. VII. *Quid juris, si delictum concernat duplex territorium?*

R. Cum distinctione:—1.º Ubi quis vulnus lethale inflixit, ibi sortitur forum, etsi vulneratus fugiens in alio territorio decesserit: nam ibi homicidium fit, ubi ponitur causa efficax necis (*arg. l. 21. §. 2. ff. ad L. Aquil.*)—2.º Si occisus reperiatur jacens in confinio duorum territoriorum, et dubitatur in quo vulnus lethale acceperit, reus sortitur forum in utroque territorio; ita ut inter iudices locus sit praeventioni, *arg. l. 19. ff. commun. divid.*, ubi arbor in utriusque vicini fundo enata, dicitur pertinere ad utrumque dominum. Nam meriti delictum ex loco, ubi caput, vel pedes, vel cor jacet, vel ubi homicida stetit, est prorsus incertum.—3.º Qui stans in territorio A, v. g. explodendo scelopum, occidit alterum in territorio B, probabilius sortitur forum in utroque (*l. 4. C. ubi de crim.*), ubi loquutio est alternativa: *questiones criminum perfici, ubi commissa vel inchoata sunt.* Econtra, qui mandavit homicidium in territorio A, perficiendum in territorio B, regulariter sortitur forum in loco executionis, licet Farinaccius dicat forum contrahi in utroque loco: nam in priori casu unicus est actus explosionis et homicidii; in hoc autem posteriori casu sunt duo diversi actus; scil. mandatum, et ejus executio. Solum autem mandatum sine effectu non punitur poena ordinaria, v. g. homicidii, nisi in gravissimis delictis laesae majestatis, assassinii etc., et tunc mandans, et mandatarius sortitur forum in utroque loco.

28. Q. VIII. *Quid iudex possit in reum ratione delicti conventum?*

R. 1.º Si reus existit in loco delicti, potest illum punire poena corporali, vel pecuniaria secundum statuta loci, licet in eo loco, ubi reus habet domicilium, alia poena statuta sit tali delicto, (*l. 1. C. ubi de crim. c. 14. h. t.*); nam voluntarie delinquendo, reus ipso facto se submittit poenae legibus territorii taxatae.—2.º Si reus fugit, non potest iudex eum persequi in alieno territorio, ex reg. generali, (*c. fin. de const. in 6 et l. fin. ff. de jurisd.*): extra territorium jus dicenti impune non paretur, nisi esset publicus latro aut grassator, per Const. Imperat. §. 22. Augustae editam an. 1559. Si autem eum citatione praeventit ante fugam, iterum eum citare, et contra contumacem usque ad sententiam definitivam procedere potest, decernendo missionem in bona, vel poenam banni, aut excommunicationis (*c. 19. h. t. l. 1. C. de requir. reis.*); nam per citationem factus est subditus illi iudici. At si citatione eum non praeventit, vocare eum potest edictaliter: et quamvis in personam contumacis procedere nequeat, quia per egressum desiit esse subditus, potest tamen ejus bona adnotare; et si aliter satisfacere nolit, decernere missionem in illa, requirendo iudicem alterius territorii, ut eam admittat. (*Clem. 2 de sentent. et re judic. c. 1. §. contra-hentes h. t. in 6.*) Remissio delinquentium hodie raro fit ad locum delicti, nisi iudex inferior in tali delicto judicare nequeat, (*l. 1. 7. C. de defensor. civit.*) Potest tamen remissio ista peti per litteras *requisitorias*, seu *pre-catorias*; et si petitioni annuitur, dandae sunt litterae *reversales*, quod re-

missio haec non sit futura in praeventum remittentis, et quod iudex requirens in simili idem facturus sit.

§. III.

De foro privilegiato Clericorum.

29. Q. I. *An, et quo jure Clerici habeant privilegium fori, quo eximuntur à jurisdictione laicorum?*

R. Ad 1.ºm Affirmative, cum catholicis contra heterodoxos, ut patebit ex dicendis. Circa secundum tres sunt sententiae. Prima docet hanc exemptionem esse tantum juris positivi humani: ita Covar. Cævall. Molin, etc. Secunda docet esse juris divini initiative et originaliter, formaliter autem juris humani: ita Lessius, Wiestner, Schmalz. quorum sententia parum differt à priori. Tertia docet esse formaliter juris divini, et naturalis saltem in thesi, seu genere, licet determinatio illius quoad particulares circumstantias et personas dependeat à Vicario Christi: ita Abb. Clar. Engl. Laym. Reiff. et plurimi alii TT. ac Canonistae, cum quorum veriori sententia:

R. Ad 2.ºm Forum Clericale non solum est juris humani, sed etiam divini et naturalis.

Prob. 1.ª pars, ex jure civ. auth. statuimus C. de Episc. et Cler. ubi ex Const. Friderici Imp. haec referuntur: Statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili trahere ad iudicium saeculare praesumat, etc. Et *auth. cassa C. de SS. Eccl. idem Imp. dicit, cassa et irritata esse statuta contra immunitatem Ecclesiae, ejusque personas. Idem prob. ex jure Canon. dist. 96 ferè per tot. cap. 8 de judic. c. 12. h. t. et alibi passim.*

Quamvis Conc. Trid. (*sess. 23. c. 6 de ref.*) noluerit Clericum in minoribus constitutum nullum possidentem ecclesiasticum beneficium, gaudere privilegio fori, nisi praeter delationem habitus et tonsurae, inserviat alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi, haec tamen conditio adeo levis visa est Cong. Conc., ut hujusmodi duntaxat defectus non satis sit ad illum spoliandum hoc privilegio; ut constat ex sequentibus responsis ejusdem Cong. relatis à Bened. XIV. (*lib. XII de Synod. Dicec. c. 6. n. 5. In Senogallien. 23. Jan. 1603*) «Sacra.... censuit, oratorem, Clericalem habitum et tonsuram deferentem, quamvis alteri Ecclesiae, quam illi cui ex mandato Episcopi ad inserviendum adscriptus fuit, inserviat, nihilominus privilegio fori gaudere.» Et in *Neapolitana (1 Februarii 1614.)* cum eadem Congreg. fuisset consultata:—«An Clericus in minoribus ordinibus constitutus, Clericalem habitum et tonsuram deferens, atque Ecclesiae inserviens, gaudeat privilegio fori, si alicui Ecclesiae ab Episcopo adscriptus non sit»—respondit: *Gaudere.*

Est hic notandum cum eod. Bened. l. c. n. 6. Neque (*sunt ipsius verba*) hæc Sac. Cong. responsa alteri adversantur Trid. decreto ejusd. S. c. 16, de quo nos ipsi superius egimus lib. 2. c. 2., ubi nimirum vestigiis inherens sexti Canonis Concilii Chalcedonensis, neminem in posterum ordinibus initiandum decrevit, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus; simulque sacris interdicendum præcepit, qui, inconsulto Episcopo, ab Ecclesia se proripit, cui fuit alligatus. Aliud siquidem est, Clericum posse compelli ad inserviendum Ecclesiæ ab Episcopo designatæ; aliud posse fori privilegio ideo privari, quod non illi, sed alteri Ecclesiæ suum servitium impendat. Primum certè, non itidem alterum, ex allegato Tridentini textu consequitur: quinimò ex hoc apertè conficitur, sola suspensione à Divinis, aut interdictione ascensus ad Superiores ordines, ejus esse puniendam contumaciam, qui inconsulto Episcopo, ab Ecclesia recedit, cui in sui ordinatione fuit mancipatus; uti in suis suffragiis hac super re diligenter elucubratis concluderunt Carolus de Vecchiis, et Prosper Fagnanus, celebres olim Sac. Congreg. Conc. Secretarii, quæ extant lib. memorialium 52. pag. 46.

Prob. 2.^a pars, quoad jus divinum:—1.^o ex Gen. 47. v. 22. Lev. ult. v. 28. Num. 18, v. 8., ubi Sacerdotes veteris legis leguntur exempti à jurisdictione laicorum; ergò multò magis id concedendum est Sacerdotibus novæ legis, cum præceptum istud non sit merè cæremoniale, sed potius morale tangens directionem honorum morum, et præcavens irreverentiam in Christos Domini.—2.^o Matt. 17. ibi: *Reges terræ etc.*, Christus pronunciat Petrum esse liberum à solutione tributi, et consequenter liberum à jurisdictione laica: Petrus autem repræsentavit totum statum clericalem. Tum quia exemptionem istam à Christo profectam communis quasi traditio et usus Ecclesiæ manifestat; et ideo Imp. Const. in Conc. Nicæno ad Patres dixit: *Vos à nemine dijudicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini*, (*Can. futurum 12. q. 1. Can. Continua 11. q. 1. et omissis aliis.*)—3.^o Prob. auctoritate Conciliorum hoc jus divinum asserentium. Sic in Conc. Lat. sub Leone X. Sess. 9. in Bulla ref. dicitur: *cum à jure tam divino, quàm humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit*. Et clarius Trid. sess. 25. c. 20. de ref. dicit: *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutam esse*; qui textus in propria significatione sine ullo absurdo intelligi possunt.

Prob. 3.^a pars, quoad jus naturale; ex quo conclusio saltè mediata et remota deducitur, dictam exemptionem ostendens. Nam Clerici sunt instituti patres, magistri et iudices omnium fidelium, etiam principum, in summo tribunali Ecclesiastico: Actor. 20. ibi: *vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; sed jus naturale dictat patres, magistros et iudices summi tribunalis non debere esse subjectos iudicibus tribunalis inferioris, uti est laicus respectu ecclesiastici, per Can. 9. d. 96. ibi: *Nam miserabilis insanie esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et illum suæ potestati subicere, à quo credit non solum in terra, sed etiam in caelis se ligari posse et solvi*: ergò. Tum quia natura dictat,

quod potestas profana non debeat ferri extra suum objectum, putà extra res et personas profanas, quod etiam gentiles agnoverunt. Et ideo, ut Imperator circa sacra et Sacerdotes posset aliquid disponere, summa dignitas Pontificis maximi ei conferebatur; sed Clerici non sunt res et personæ profanæ, sed Deo sacræ, non minus quàm altaria et Ecclesiæ; ergò.

Obj. 1.^o Christus erat subjectus Pilato, Joan. 10. ibi: *non haberes potestatem adversum me.*—2.^o Paulus Act. 25. Cæsarem appellavit.—3.^o Lex Evangelica et Baptismus non eximunt à potestate laica, ergò nec ordo seu clericatus.—4.^o Nov. 83 Clericos subicit iudicibus laicis.—5.^o Clerici et Ecclesiæ olim dabant Imperatoribus tributa (*c. tributum 23. q. 8.*), quod est recognoscere eorum jurisdictionem.—6.^o Si exemptio Clericorum esset juris divini et naturalis, non posset à potestate humana immutari et tolli, cum jura naturalia sint immutabilia (§. pen. In. de J. N. G. et C.); sed mutari potest, imò tolli respectu Clerici criminosi (*c. 10. de jud.*); ergò.

R. Ad 1.^m Potestas ista non fuit juris, sed facti et permissionis, et ideo Luc. 22. v. 53. vocatur *potestas tenebrarum.*—Ad 2.^m Paulus via facti et necessitatis appellavit Cæsarem, non ut proprium iudicem, sed ut defensorum innocentiam contra calumnias judæorum. Sic etiam in primis Ecclesiæ seculis sæpe recursus similes fiebant ad Imperatorem contra violentiam hæreticorum.—Ad 3.^m N. C. Nam baptismus non excludit, sed vult esse principatum civilem; Clericatus autem elevatus est supra omnem profanam potestatem (*c. 6. de M. et O.*), quia in una republ. christiana gladius temporalis subjectus est spirituali (*Extr. 1. de M. et O. inter com.*)—Ad 4.^m Jura civilia, utpote extra spheram in hoc puncto vagantia, non sunt curanda, sed corrigenda, uti et correctæ sunt ab Imperatoribus Ecclesiæ devotis.—Ad 5.^m Clerici dabant tributa et onera realia fundis inherentia, et pro necessitatibus boni publici, accedente consensu Episcoporum, multa Imperatoribus contributebant, quod et hodie faciunt, non jurisdictione Imperatoris, sed Papæ.—Ad 6.^m Hæc et similia argumenta plus non probant, nisi exemptionem istam non esse juris divini in hypothesi, et determinatè pro singulis casibus et circumstantiis, quo non obstante est juris divini in thesi et genere. Sic confessio, communio, residentia curatorum, vota, juramenta, sunt juris divini; et tamen variè determinantur per potestatem ecclesiasticam. Cetera argumenta ex ratione ducta vide in Bellar. et aliis passim.

30. Q. II. *Qui Clerici gaudeant foro clericali?*

R. Omnes specialiter non excepti; nam jura generaliter personas ecclesiasticas eximunt à jurisdictione laicorum. Et quidem privilegio hoc gaudent:—1.^o Clerici primò tonsurati, et minoristæ, modò habeant beneficium ecclesiasticum; vel si illud non habeant, debent deferre habitum et tonsuram clericalem, et alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inservire, vel in seminario Clericorum, aut scholis de licentia Episcopi versari. Ità hæc conditiones requirit Trid. sess. 23. c. 6. de ref. Clerici autem conjugati monogami, habitum clericalem et tonsuram deferentes, et ex deputatione

Episcopi alicui Ecclesiæ servientes, gaudent hoc privilegio fori in criminalibus criminaliter vel civiliter intentatis, non verò in causis civilibus. Trid. *ibidem* renovando constit. *c. un. de Cler. conjug. in 6.*—2.º Regulares utriusque sexus (*Can. 38. de persona 11. q. 1.*), uti et novitii, tertiarii conventualiter viventes, et eremitæ Religionem approbatam professi, vel saltem auctoritate Episcopi ad servitium Ecclesiæ deputati, modò habitum gestent: item rectores hospitalium auctoritate Episcopi erectorum, modò in eis resideant; nam hi omnes in favorabilibus veniunt nomine personarum ecclesiasticarum.—3.º Servi Ecclesiæ aut Clericorum, cum sequantur forum domini sui (*Can. 69. Ecclesiarum 12. q. 2. et arg. l. 6. in fin. ff. ad municip.*); non tamen probabilius famuli conductitii, et familiares, excepta familia Episcopi, per *c. fin. v. petiit de off. Archid.*—* Ii verò de familia, seu familiares Episcopi ex Const. Bened. XIV. *Alias* (24. Jan. 1744. §. 9.) dicendi sunt, qui de jure et juxta consuetudinem loci cujuslibet hactenus pro familiaribus et officialibus habiti et deputati sunt, ac haberi et deputari solent. Qui itidem gaudent privilegio fori pro crimine homicidii ex Constitut. Clement. XII. *In supremo*, pro ditione Ecclesiæ Romanæ, extensa à Bened. XIV. cit. Const. *Alias* ad loca Reipublicæ Lucanæ, in pertinentibus ad immunitatem localem et personalem. Quod tamen privilegium non susfragatur ceteris privilegiatis, ut dicam lib. III. tit. 49. * Neque liberi, aut uxores legitimæ, cum hoc privilegium personale sine claro textu non sit ad alios extendendum.

Privilegio fori non gaudent minoristæ, conditiones *Trid. cit.* non servantes. Constituti autem in majoribus privantur illo:—1.º Degradati, et Curia seculari traditi (*c. 10. de judic. c. 2. de pœnis in 6.*)—2.º Qui ter ab Episcopo, vel semel in sinodo moniti, non deferunt habitum et tonsuram, quia sic probant se incorrigibiles (*c. 25. 45. de sent. excom.*)—3.º Reus assassini post sententiam declaratoriam criminis, (*c. 1. de homic. in 6. cum declaratione Clem. VIII. an 1595. 18. Dec.*)—* Ex Constit. Clem. XII. *In supremo*, pro urbe et reliquo statu Ecclesiastico (1. Febr. 1735.), extensa ab eodem ad Regna Hispaniarum Constit. *Alias nos*, et ad Republicam Genuensem, Corsicam, et Insulam Caprariam Const. pariter *Alias nos*, ac Bened. XIV. ad Republ. Lucanam Const. *Alias fel. rec.* (24. Jan. 1744.), non gaudent hoc privilegio:—I. Privilegiati, vulgò patentati, rei homicidii; exceptis officialibus, aliisque privilegiatis à Cong. univ. Inquisitionis, ac ministris actu inservientibus locorum Ordinariis, eorumque Curii: qui si Clerici sint, subjici debent Ecclesiasticæ jurisdictioni; si laici, seculari.—II. Clerici tonsurati, non beneficiati, rei duorum homicidiorum animo deliberato et præmeditato patratorum; qui seculari potestati subjiciendi sunt, ut laici, etiam si servaverint conditiones à Tridentino præscriptas.—III. Clerici in minoribus non beneficiati, et non servantes dictas Trid. conditiones, tam cælibes, quàm conjugati; rei pariter homicidii, et sic privati ejusdem fori privilegio frui non possunt, neque habitum clericalem reassumere, etiam post totaliter expiatam homicidii pœnam. Declarationem autem an ante patratum homicidium Tridentini requisita servaverint, statuit spectare ad Ordinarios; non retardata interim assecuratione eorumdem, fa-

cienda etiam per judicem laicum nomine Ecclesiæ, qui illos pariter Ecclesiæ nomine ad illius dispositionem retinere possit ac debeat, donec dicta declaratio prodierit.—4.º Qui, dimisso habitu, immiscent se enormitatibus criminum, et post trinam Episcopi monitionem non respiciunt. Ceteri casus de Clericis jocularibus, et officium macellariorum aut tabernariorum personaliter exercentibus, referuntur *c. un. de vit. et hon. in 6. Clem. 1. eod.* Præter hos casus Clerici non substant jurisdictioni et judicio seculari, etsi delinquant in officio seculari Principis, vel falsum testimonium dicant in judicio seculari, vel rei sint criminis læsæ majestatis, quia per *c. 4. 10. de judic.* laicus omnino est incapax eos judicandi. Posset tamen Clericus inter peruelles pugnans in actuali pugna occidi; quia hoc fieret via defensionis, quam jus naturale concedit.

31. Q. III. *In quibus causis Clerici gaudeant privilegio fori?*

De causis criminalibus et personalibus certum est: de realibus negant Gothofr. Mynsing. Gail, et plures Legistæ, contra quos:

R. Clerici gaudent privilegio fori etiam in causis realibus: ita com. Canonistæ et TT. Prob. ex *cit. auth. statuimus C. de Episc. et Cler. ibi: in criminali questione, vel civili.* Et *c. 12. h. t. Innoc. III. docet*, Clericos in criminali seu in civili negotio, nec invitos nec voluntarios subire posse secularia judicia. Quæ et similia jura non distinguunt inter causam personalem et realem; ergò. Tum quia res et bona, tamquam accessoria, sequuntur conditionem personæ ecclesiasticæ, per *l. quæ. Religiosi adhærent, Religiosa sunt 43. ff. de R. V.*: ergò Clerici etiam quoad bona sua patrimonialia, vel quasi patrimonialia exempti sunt à Curia seculari. Huc etiam facit *arg. à reb. militis l. 6. C. de jurisd. omni. jud. l. fin. C. de agent. in reb. et arg. à c. fin. de jud. et arg. à causa feudali excepta ad aliam non exceptam c. 6. 7. h. tit.* An autem consuetudo in contrarium sit rationabilis, dubitatur: multi dicunt esse corruptelam adversam Bullæ Cœnæ: alii tamen eam cohonestant, tum ex tacito consensu Papæ, tum ex jure advocatiæ et reservationis, quatenus Principes dotando Ecclesias, cum consensu Papæ reservarunt sibi jus exercendi jurisdictionem in bona Ecclesiis et Clericis donata. Vide P. Pichler hic à num. 24.

Dices: in actione reali non persona, sed res convenitur (*l. 19. ff. de jure fisco*.) Clericus possessor non tam reus, quàm defensor est; is autem privilegio fori non juvatur (*l. 49. ff. de judic.*); ergò non est contra dignitatem clericalem actione reali coràm laico conveniri.—R. Non res nuda, sed ut relata ad Clericum possessorem convenitur, et tota jurisdictione in eum exercetur citando etc. Hoc modo autem jurisdictione à laico in Clericum exerceri jura non admittunt.

* Ex const. Bened. XIV. *Militantis* (30. Mart. 1742.) judices competentes in sequentibus causis sunt:—1.º Locorum Ordinarii, tanquam Sed. Apost. delegati, in causis civilibus mercedum et miserabilium personarum quoad Clericos seculares; aut regulares extra monasterium degentes quomodolibet exempto, etiamsi habeant certum judicem in partibus; sicut et in aliis causis, si dictum judicem non habuerint.—2.º In causis omnibus, tam civilibus quàm criminalibus spectantibus ad forum ecclesiasticum res-

pectu non exemptorum in prima instantia; exceptis privilegiatis à Trid. vel aliàs de Apostolicis sanctionibus.—3.^o Ex constit. ejusdem Pontif. *Romanæ* (21. Dec. 1745) pro statu Ecclesiastico, urbis Vicarius est judex competens in causis merè laicalibus, etiam spectantibus ad Curiam capitulinam per prorogationem partium, et de eorum consensu in actis expressè præstito; nisi agatur de exequutione obligationis cameralis.—4.^o In causis matrimonialibus, et in beneficiorum institutionibus privativè quoad alios in urbe, et districtu, si nulli alii ordinaria jurisdictio in dictis locis competat.—5.^o In causis contra Clericos non exemptos cumulativè cum solo Camerae Apost. Auditore.—6.^o In interpositione decretorum privativè quoad quoscumque alios iudices Romanæ Curiae, in renuntiationibus aliisque quibuscumque contractibus Regularium utriusque sexus degentium tempore probationis in cœnobiis et monasteriis urbis, aut districtus.—7.^o In prima instantia quoad causas ad ipsum Vicarium spectantes, ratione originis vel beneficii, contra Clericos Romanos commorantes in diœcesibus et territoriis intra urbis districtum; comprehensis etiam sex Episcopatibus S. R. E. Cardinalium; ibique mandata à se expedita, tam realiter, quam personaliter exequi potest.—8.^o Auditor Camerae Romanæ extra urbis districtum non potest esse judex competens in causis summæ recurribilis, id est, non attingentis valorem scutorum centum; sed subdelegandus est alius judex in partibus, in quibus pronuntiatum fuit primum iudicatum, quatenus sit cum clausula (et quidem sub pœna nullitatis delegationis), ad effectum cognoscendi de gravamine pro admissione, vel denegatione recursus per acta ejusdem notarii, et sine solutione propinæ et registri: et quatenus partes in eo non consenserint, ad effectum deputandi alium iudicem in sui locum, cum iisdem facultatibus de consensu ipsarum partium, sin minus ex officio.

Reliqua in hac eadem constit. disposita respiciunt tribunalia urbis, circa quæ vide additionem ad titul. XXXII. *de officio iudicis* post n. 239.**

32. Q. IV. *In quibus casibus jus permittat Clericum stare in iudicio seculari, vel eum capi à iudice laico?*

R. Ad 1.^m In casibus seqq.:—1.^o In causa feudali (*c. 6. 7. h. t.*).—2.^o Si Clericus ut actor conveniat laicum, quia tunc sequi debet forum rei.—3.^o In casu evictionis, dum emptor laicus laudat auctorem, seu venditorem Clericum.—4.^o Si Clericus conveniatur nomine alieno, ut procuratorio, tutorio etc.; quia tunc sequitur forum sui principalis, uti etiam si esset hæres defuncti, cum quo lis cœpta est; nam *ubi acceptum est iudicium, ibi et finem accipere debet*, (*l. 3. ff. de iud.*)—5.^o Si bona immobilia data sunt Ecclesiis aut Clericis, cum pacto et conditione, ut sub priori foro maneat; hæc enim conditio, cum iusta sit, neque reprobetur à Sac. Canonibus, servanda erit.

Ad 2.^m Judex laicus ex permissione et consensu Ecclesiæ potest Clericum in certis casibus capere et incarcerare, non ut ille ipsum iudicet, aut puniat, sed ut eum tradat iudici ecclesiastico. Quod tunc procedit, dum subito haberi nequit potestas ecclesiastica, et aliàs periculum est in mora; ut si Clericus velit sibi aut aliis grave damnum inferre, si deprehen-

datur in flagranti crimine, si arma gestet loco et tempore vetito, si in fraudem creditoris abitum paret; denique si moliat quodcumque grave malum, cui hic et nunc aliter mederi non potest, nisi per capturam Clerici: nam in his et similibus casibus judex laicus non tam via jurisdictionis, quam defensionis procedit. In illo casu, quo quis commisit delictum in Clericatu, vel novitiatu religioso, et postea deseruit Clericatum, vel monachatum, etsi à iudice ecclesiastico citatione non sit præventus, tamen ab eo iudicandus est, et non à laico; nam pro usu privilegii attenditur tempus delicti, quo patratum est, (*l. 1. C. de pœnis.*)

Circa forum competens in causis damni dati ab animalibus in Statu Pontificio ad forum laicale pertinentibus, si damnum sit simplex, ex const. Benedict. XIV. *Inveterata* (25. Jan. 1751), hæc cognoscendæ sunt in prima instantia à magistratu loci, si ex statuto, vel consuetudine hoc jus ei competat. Si verò sit aut studiosum, id est, ex culpa et negligentia custodum, aut manuale, cognoscendæ sunt à solo loci Governatore.

Pro damno dato à laico in bonis laicalibus cum animalibus ecclesiasticorum, si solus eorum custos laicus querelatus, arrestatus, aut oppignoratus fuerit, causæ cognitio spectat ad forum laicale; si verò oppignorata fuerint animalia, ad forum ecclesiasticum; si oppignorata fuerint tam animalia, quam custos laicus, est in arbitrio damnificati forum eligere, absque facultate variandi: ita tamen, ut si eligat forum laicale, judex laicus statim relaxare debeat animalia ecclesiasticorum, sine ulla expensa tam pro decreto, quam pro mandato relaxationis: si verò eligat forum ecclesiasticum, iudex ecclesiasticus relaxare debeat custodem tantum sine ulla pariter expensa.

Nullus judex tam laicus, quam ecclesiasticus procedere potest in his causis, nisi intra priores octo dies denunciatum fuerit damnum; causæque terminari debent intra quadraginta dies, aliàs devolventur ad iudicem superiorem ex capite denegatæ justitiæ. Probatio autem et liquidatio damnorum, ac pœnarum impositio fiant juxta statuta et consuetudines locorum in utroque foro.

Liberum erit damnum passis in captura animalium hujusmodi damnum inferentium, aut omnia, aut partem illorum capere, sive à custode pignus recipere, licet animalia sint ecclesiasticorum; dummodo illorum captura, vel pignus factum fuerit antequam aut ipsa, aut custos exierint à fundo damnificato. Data autem fidejussione pro solutione tam damni, quam pœnæ, relaxanda erunt à quocumque iudice animalia, pignora, et multò magis custos.

Pœnæ exigendæ, sive judex sit ecclesiasticus, sive laicus, sive in prima, sive in ulteriori instantia, integrè solvendæ sunt communitati, aut illarum locatario, sublata cuique facultate eas condonandi, vel imminuendi, licet sint Cardinales, Legati, Vicelegati, Provinciarum Præsides, Episcopi ac Archiepiscopi, quamvis communitatis consensus accederet, sub pœna scutorum quinquaginta in favorem communitatis, vel locatarii ipso facto, et etiam pro prima controventionem incurrenda, tributa facultate magistratui loci respectu Governoris contrafacientis eadem scuta quinquaginta sub-

trahendi à menstrua præstatione ei solvi solita; respectu verò judicis ecclesiastici, recurrenti ad Sac. Congreg. boni regiminis.

Judici autem, ministris et exequutoribus post compensationem damni factam parti læsæ, et post effectivam solutionem pœnarum, danda sunt tantum emolumenta pro decreto et exequutione juxta taxam servari solitam in causis civilibus.

Appellatio à sententia de damno dato deferenda est ad quos pertinent aliæ causæ criminales in ulterioribus instantiis, servata taxa quoad sportulas et emolumenta judici debita, ut in causis civilibus, sublata facultate Cong. Consultæ se in his causis ingerendi tam in prima, quam in ulteriori instantia, etiam de consensu partium; excepto casu, in quo damnum datum ejus sit qualitatis, ut transeat ad aliud delictum, cui juxta generalia bandimenta imposita sit pœna trirremium, aut capitibus.

Ad Cong. autem boni regiminis spectabit horum omnium exequutio, et tamen interdicta facultate se in particularibus causis ingerendi.

33. Q. V. *An Clericus renuntiare possit privilegio fori ecclesiastici?*

R. Negativè, ex clara decisione c. 12. h. t. Nam hoc privilegium est juris publici, et toti collegio ecclesiastico publicè indultum, cui proinde privatus derogare non potest (l. 38. ff. de pact.) Secus si Clericus est actor trahens alterum Clericum ad judicium seculare, causam civilem perdit, et excommunicatur, donec satisfaciat reo et Ecclesiæ pro injuria facta. Si verò Clericus reum coràm laico respondeat, vel se purget, perdit causam civilem, vel deponi debet; in causa verò criminali respondens, amittit locum suum, deponitur ab officio et beneficio, non quidem ipso jure, sed post sententiam judicis ecclesiastici. De degradatione et aliis pœnis Clericorum, agetur lib. V. tit. 37. de pœnis.

§. IV.

De foro privilegiato miserabilium personarum, et studiosorum.

34. Nominis miserabilis personæ veniunt hic pupilli, viduæ honestè viuentes, uxores habentes maritum inutilem, ut captivum, exulem, virgines patre carentes, senes decrepiti, et omnes illi, qui non ob luxum aut crimen proprium, sed ob fortunæ injuriam naturali commiseratione digni sunt (l. un. C. quando Imp.)

35. Q. I. *Quale privilegium circa forum habeant personæ miserabiles?*

R. 1.º Extra Provinciam suam non possunt trahi ad comitatum, hoc est, ad curiam Imperatoris; alios verò immediatè in prima instantia convenire possunt coràm Imperatore, præsertim si in tribunali inferiori timeant oppressionem; ità de jure civili (cit. l. un. C. quando Imp.)—2.º In casu spoliationis, omissis judicibus intermediis, spoliatorem suum inter-

dicto unde vi convenire possunt coràm Episcopo, seu judice ecclesiastico, etiamsi judex laicus eis justitiam administrare vellet: ità de jure com. (c. 15. h. t.); quia defensio miserabilium personarum per vim spoliatarum cumulativè spectat ad iudices ecclesiasticos, tanquam patres pauperum. In aliis autem causis civilibus adire debent judicem secularem, et in hujus defectum, si justitiam administrare nollet, ecclesiasticum (c. 10. 11. h. t.) His tamen privilegiis persona miserabilis non utitur contra æquè miserabilem, nisi forsàn eo quod jus canonicum concedit, quod spoliatis, et non vicissim spoliatis concessum est.

36. Q. II. *Quale privilegium fori habeant studiosi?*

R. Illud speciale ut conveniri non possint, nisi coràm domino, vel magistro suo, hoc est, Rectore scholarum, seu magistratu Academico, vel ipsius Civitatis Episcopo; licet consuetudo hodie obtineat, ut conveniantur tantum in foro Academico coràm rectore suo. Ità concessit Fridericus I. Barbarossa, seu Ahenobardus in comitiis apud Roncalias, seu in campis ad Padum non procul Placentia an. 1158. edita constitutione imperiali, cujus fragmentum relatum est in jus civile Auth. habita C. ne filius pro patre. Ratio hujus privilegii duplex assignatur: prima, quia scientia scholarium et maximè professorum totus illuminatur orbis, et ad obediendum Deo et hominibus vita subditorum informatur; altera, quia studiosi amore scientiarum patriam deserunt, et alibi quasi exules vivunt; adeoque hoc favore sunt dignissimi.

37. Q. III. *Ad quas causas se extendat privilegium fori scholastici?*

R. Ad causas civiles et criminales non tantum minores, sed et majores; adeoque vi hujus privilegii Academiis competit imperium merum, seu jus gladii. Ità comm. DD. Germani, licet Baldus, Cujac. de Castro, Vultej. et plures alii dicant, Rectori scholarum non competere jurisdictionem in criminalibus majoribus, nisi aliunde ex speciali privilegio acquisita sit. Prob. ex verbis cit. autb. ibi: *Hac igitur generali, et in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de cetero tam audax inveniatur, qui aliquam scholaribus injuriam inferre præsumat, nec ob alterius cujuscumque Provincie delictum, sive debitum, aliquod damnum eis inferat etc.*, quo textu exprimitur utraque causa civilis et criminalis. Ratio est, quia licet in cit. autb. non exprimat imperium merum, tamen tacitè inest in verbis generalibus, quæ hic non sunt restringenda: tum quia jurisdictione ordinaria illimitatè concessa, censetur concessum imperium merum (l. 7. 8. ff. de off. proc.); tum quia hoc privilegium, tanquam cæsareæ pietatis beneficium, latissimè interpretandum est (l. 3. ff. de constit.); ergò.—Nec obstat, quod celeberrimæ Academia Bononiensis et Parisiensis non gaudeant imperio mero: nam Papa et Rex Galliæ non ligantur constitutione Fridericiana. Ceterum non est dubium, quod Imperator privilegium istud tollere, aut restringere possit; adeoque si quod de novo ordinet, illud utique observandum erit.

38. Q. IV. *Quæ scholæ gaudeant privilegio Friderici?*

R. Omnes scholæ publicæ, et communes omnibus, in quibus litterarum exercentur studia, sive sint universitates majores completæ omnibus facultatibus, sive incompletæ, sive minora gymnasia publica ad recipiendos

et docendos scholares erecta: nam constitutio Friderici non restringitur ad universitates completas, imò nec mentionem universitatum facit, sed generaliter loquitur de scholis et scholaribus.

39. Q. V. *Qui gaudeant privilegio fori Academici?*

R. 1.º Maximè professores, tum scholares catalogo inscripti, seu immatriculati, nisi per accidens ommissa fuisset inscriptio: item illorum filii, servi, uxores et viduæ, quæ sequuntur forum mariti, donec alteri nubant (*l. fn. C. de incolis. l. 3. C. de priv. scholar.*); item notarii, pedelli et nuntii Academici: non tamen typographi, biblioepi, et similes, qui per se nec scholis, nec scholaribus adhærent.—Studiosi in patria sua studentes, quia de his verificatur saltè una causa, quod eorum scientia orbis illuminetur.—3.º Scholares alibi delinquentes, qui petere possunt remissionem ad forum Academicum ex verbis *autb. ibi: ob alterius cujuscumque Provinciae delictum*, nisi alicubi consuetudo sustulerit istam remissionem.—4.º Studiosi cessatores, seu vagatores, quamdiu scholaribus accensentur, gaudent hoc privilegio; nisi per rectorem illo priventur et excludantur à scholis.—5.º Clerici studiosi de jure communi conveniendi sunt tantum coràm Episcopo: at de consuetudine in causis civilibus levioribus solent conveniri coràm rectore scholarum, non tam via stricti judicii, quam potius amabilis compositionis, cum Fridericus Imper. sua constitutione non poterit derogare juri canonico et foro clericali. Is autem, coràm quo in scholis convenitur Clericus, debet esse persona ecclesiastica; siquidem laicus est incapax jurisdictionis exercendæ in clericos.—6.º Privilegium fori scholastici amittitur discessu à scholis animo non redeundi; de quo si non constet, videtur sufficere quinquennium, ex quo tempore præsumitur scholaris abisse animo non revertendi: Baldus, Fridericus et alii. Item delicto, cui ex statutis scholarum annexa est privatio fori academici. Ceterum, privilegium hoc non habet locum, si extra civitatem, in qua scholæ sunt, alibi propria negotia componenda veniant, ut praxis com. docet. Vultej. et alii.

His foris privilegiatis additur *forum militare*, vi cujus milites juramento militiæ adscripti civiliter et criminaliter conveniuntur coràm judice militari, seu colonello suo (*l. 6. C. de jurisd. omn. jud. l. 7. ff. de jud.*) Item *forum nobilem* immediatè Rom. Imperio subjectorum, qui conveniri nequeunt, nisi in camera imperii, olim Spiræ, nunc Wezlariæ sita, vel in judicio aulico imperiali Viennæ; cum nobiles isti alium superiorem judicem non recognoscant. Tales sunt in 1.ª classe Electores et Principes Imperii; in 2.ª classe Prælati, comites, barones et alii nobiles immediati; in 3.ª classe civitates imperiales immediatè imperio subjectæ. Quia verò ab his supremis tribunalibus non datur appellatio, ne his nobilibus oppressis remedium contra gravamina deesset, unanimi Imperatoris et procerum consensu concessa est illis prima instantia coràm judicibus, qui vocantur Austregæ, et judicium Austregarium (*Ord. cam. p. 2. tit. 3. et 3.*); quod tamen judicium subire non permittitur civitatibus imperii (*Ord. cam. p. 3. tit. 27.*), nisi ex speciali privilegio, quod pro foro Austregario dicitur habere Argentina, Eslinga, Ratisbona, Norimberga etc.

§. V.

De foro communi Curia Romanæ, et jure revocandi domum.

40. Certum est, quod olim omnes cives Romani conveniri potuerint immediatè in Curia Romana Imperatorum, quia per *l. 33. ff. ad municip. Roma communis nostra patria est*. Hodie tamen ex generali consuetudine, quia judicibus inferioribus relicta est prima instantia, laici immediatè conveniri nequeunt in Curia, seu camera imperiali.

41. Q. I. *An Clerici, et laici in causis spiritualibus hodie conveniri possint immediatè in Curia Apostolica Romæ, vel alibi, ubi Papa residet, constituta?*

R. Affirmativè (*c. fn. h. t.*); tum quia Roma, in qua pater omnium residet, adhuc hodie est communis patria Clericorum et laicorum in causis spiritualibus; tum quia Curia Apostolica habet concurrentem jurisdictionem cum omnibus dicasteriis ecclesiasticis, et Papa est ordinarius judex omnium fidelium (*Can. 17. et fn. 9. q. 3.*); ergò.—Nec obstat Trid. sess. 24. c. 20. *de ref.* statuens, ut causæ in prima instantia coràm Ordinariis locorum cognoscantur; nam nomine *ordinarii* non minus venit Papa, quam ordinarius delicti, contractus et rei sitæ.

42. Q. II. *Quid sit jus revocandi domum?*

R. Est privilegium concessum illi, qui ex causa necessaria venit Romam, vel ad locum alium, ne cogatur ibi respondere super antea gestis; alioquin conventus excipere poterit dicendo: *Domine, non veni ad hoc paratus, remitte me domum, et deliberabo*. Abb. Fagn. etc. Inter causas necessarias numeratur legatio, appellatio, visitatio ex causa religionis, v. g. ad lucrandum indulgentias etc. Venire autem Romam solatii aut creationis causa, est causa solum voluntaria.—Porrò hoc jus revocandi differt à *jure declinandi forum*, quia conventus in hoc, et non illo agnoscit judicem incompetentem *Advocatio causæ* pariter est diversa à jure revocandi: nam per advocacyem lis pendens à judice inferiori transfertur ad superiorem citra ullam appellationem, in eo statu, in quo fuit apud judicem inferiorem; quo modo Papa solet quandoque causas à se advocare, vel Episcopus à Vicario generali: facta autem advocacye causæ, statim suspenditur jurisdictio judicis inferioris; alioquin procedens in causa, nihil agit (*cap. 56. de appell.*)